Quinquennales mirum videbitur? Sed de Quinquennalibus Censoribus hactenus.

Antequam manu e tabulâ. Fuerunt & alii Quinquennales, qui a duratione muneris nomen acceperunt: Quinquennales nempe Collegiorum, de quibus docte disseruit Gothofred. in Comment. ad l. 7. de Pistor. tit. 3. lib. XIV. Cod. Theod. Quinquennales Ordinis Augustalium: Augustales enim præter Seviros, Quinquennales quoque habuerunt, ut sexcentæ testantur Inscriptiones; omnium vero luculentissime ea, quam dedit Fabrettus Inscr. Domest. Cap. V. n. 332. L. CARVLLIVS EPAPHRODITVS VI VIR AVG. IDEM QQ.....HVIC VI VIRI AVG. POST CVRAM QVINQVENNALITATEM OPTVLERunt QVI EGIT ANNIS CONTINVIS IIII. Quædam etiam Sacerdotia Quinquennalia fuisse suspicari quis possit ex vetustis Inscriptionibus, in quibus identidem occurrunt *Flamines Quinquennales*, *Pontifices Quinquennales*. Emus Norisius Cen. Pis. Dis. I. Cap. 5. *Pontifices Quinquennales* explosit, duasque significari dignitates, Pontificatum nempe, & Quinquennalitatem in iis lapidibus, in quibus *Pontifices Quinquennales* habentur, eruditis omnibus suffragantibus docuit; Idem porro existimari posset de Flaminibus. Verum enimvero valde mirum videtur mihi illos tot, quos memorant Inscriptiones, ex Flaminio, aut Pontificatu Quinquennalitatem adeptos, quum non nisi *gradatim permensis honoribus*, minoribus nempe Magistratibus, ad illam pervenisse Veteres, Apulejus loco superius laudato testetur. Quamobrem Quinquennale aliquando fuisse Flaminium æque, ac Pontificatum, facile mihi persuadeo, eoque magis, quod utraque hæc sacra dignitas modo temporaria fuit, modo perpetua. Equidem Flaminium ad tempus delatum fuisse, patet ex leg. 21. Cod. Theod. de Decurionib. quâ statuit Constantinus Curiales post *Flaminii honorem*, *& Magistratus*, *vel Sacerdotii decursa insignia* præfectos mansionum fieri non oportere, ut idem Emus Scriptor ead.

imam partem quasi embolum navis æneum finiebat, in quo erat scriptum C. POMPEIO TRIMALCHIONI VI VIRO AVGVSTALI CINNAMVS DISPENSATOR. *& in fragmento Traguriensi*. Inter hæc triclinii valuas lictor percussit, amictusque veste alba cum ingenti frequentia comissator intravit. Ego majestate conterritus Prætorem putabam venisse. Itaque tentavi assurgere, & nudos pedes in terram deferre; risit hanc trepidationem Agamemnon, &, contine te, inquit, homo stultissime: Habinnas Sevir est, idemque lapidarius, qui videtur monumenta optime facere.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/abati_olivieri_giordani1738/0168
© Universitätsbibliothek Heidelberg
The Getty